
IANI PELVSII
CROTONIATAE
ODARVM
LIBRI DVO



Parmæ Typis Erasmi Viothi. M. D. XCII.
Permissu Superiorum.

AD LECTOREM.

Viri eruditi lumina Palladis
Aeuiq; nostri gloria, sępius,
Et curiose qui libellos
Composita recitatis hora
Aut in theatris, aut Academijs:
Si digna vobis non cano carmina,
Nec Pindarum, vatemq; Flaccum
Aemulor vt cupio decore:
Donate flammis si libet, aut mari
Nostras papyros, vel calami vnguine
Fędate: nec Crotoniatam
Ellogio decorate vestro.
Non canto acutis iudicijs, quibus
Satis Maronis vix faceret Melos:
Aut vis Homeri: ineruditis
Ingenijs, Genijsq; canto.
Me lance quiuis ponderet, vt volet,
Nil curo: dicar carminis artifex,
Si nec Minerua, nec canorę
Destituent mea plectra Musę.

ODOARDO FARNESIO Principi Serenifs. & S.R.E. Cardinali Amplifs.

IANVS PELVSIVS CROTONIATA *rectam corporis valetudinem, animiq; serenitatem.*



DECREVERAM Sereniſſime Princeps has meas Odas nulla induſtria, nullo artificio compoſitas, omni vero ex parte imperfectas, & impolitas, tandiu apud me tenere: quandiu aut limatiores fierent, aut vna cum parodijs noſtris in Odas, & Epodos Horatij, tanquam Scopæ, aut Phidiæ ſigna in aſpectum, lucemq; proferrentur. Sed quando dum Coluthus & Tryphiodorus admodum lente, & cum multa mora, & tarditate per impreſſorum negligentiam imprimerentur: feruente adhuc ingenioli noſtri vena, & quotidie noua carmina effundente, vſque adeo creuere: vt in duos libros perbelle diuidi poſſe viderentur: mutaui ſententiam, & eas qualeſcunque eſſent, ſub tuo auſpicio, & pręclariſſimo nomine publicare volui. In quibus omnibus vt tui ingenij claritas, animi magnitudo, & comitas: ſic fratris ſingularis ad omnia dexteritas, & incomparabilis propemodum fortitudo apparebit: & quod primum dictum oportuit: Alexandri patris tui, Ducis inuictiſſimi bella per tot annos in Balgico, & nouiſſime in Gallia feliciſſime geſta eluceſcent. Si tu qui maiorum tuorum veſtigia ſequeris, & Farneſiana humanitate es apprime præditus, non exoptas, mutati conſilij me pęniteat, hilari fronte, atque æquo animo, pro tua facilitate accipe hoc litterarium munuſculum, pręceptoris tui obſeruantiæ monimentum, ac potius obnoxij, & deditiſſimi animi pignus: illudq; ſi tale non eſt, quale fortaſſe aut eſſe debet, aut Amplitudo tua poſtulat, propenſiore voluntate penſare dignaberis: & tecum cum

animo tuo cogitabis, perpaucos ſane homines ſine librorum ſupellectili ſcribere poſſe aliquid, quod purgatis auribus, acutis ingenijs, & præclaris doctorum virorum iudicijs ſatisfaciat. Quod quidem hoc tempore ſatis Mehercule incommode mihi accidit. Nam quum inter ſcribendum vt fit, aliqua non parui momenti ſuboriebatur dubitatio (ſuboriebatur autem quam ſæpiſſime) per quam & facile labi, & in mendum incidere poſſem: ad bibliopolas mihi neceſſario erat confugiendũ: qui quum libros non haberẽt, qui dubiorum ſcrupulos qui me male pungebant, & tardiorem faciebant ad ſcribendum, mihi omnino euellerent: pendebam animi, & maximo dolore affligebar. Malui tamen ſcriptor ineptus, atque infans haberi: quam aut ignobilis profeſſoris officio fungi, aut ab inſtituto opere turpiter deſiſtere. Itaque parens neceſſitati, cui ne Dij quidem (vt eſt in prouerbio) reſiſtunt: hos fętus quos vix parturiens peperi, ad Amplitudinem tuam ea ſpe, & conſilio mitto: vt illos à Momorum petulantia, & calumnijs acerrime tuearis, & defendas. Non deerit ſat ſcio Bauianus Merula, qui inuidiæ ſtimulis exagitatus, hæc noſtra non miniatula cera, ſed atro carbone notet. Sed tantum abeſt, vt huiuſmodi imperiti hominis cenſuram, & obelos extimeſcam, vt iureiurando audeam affirmare, in toto orbe terrarum nullum eſſe, (de viris doctis loquor) qui litterarum humanarum ſit imperitior, & res poëticas quarum (qua eſt arrogantia) præter cæteros, ſe peritiorem eſſe iactat, & profitetur, peius intelligat, & ineptiora carmina ſcribat, Tuſca dico: Latina nihil moror. Nam quum nullo prorſus ingenio ſit, nondum nouit, èx quibus pedibus conſtent. Sed quid multa de hoc pulchello litteratore, & egregio poetaſtro? quem tirones pariter & veterani milites Mineruę, vna voce, atque vno ore omnes indoctorum virorum regem, & illitteratorum hominum fecem, & ſentinam palam dictitare non erubeſcunt. Cæterum ne quis falſa interpretatione deceptus, in ſe dictum, quod dictum non eſt, interpretetur: tibi ſpondeo, in meque recipio, in primo tomo epiſtolarum mearum qui propediem Dijs humaniorum

niorum

niorum studiorum presidibus edetur: hunc eundem imperitiæ monarcham, & inscitiæ architectum suo nomine appellare. Vbi quid sit epistola, & quo stylo, & charactere sit scribenda, non ignorabit. Ait enim sibi genus hoc scribendi meum non probari, & olere nescio quid βασκαζόντων. Quod verũ an falsum sit, res ipsa indicabit viris insigniter eruditis: qui præterquam quid distent æra lupinis exactissime nouere: accutratius singula examinare consueuerunt. Siquis tamen erit, qui amico animo peccatum, siquid peccatum est, me admonuerit, gratias illi agam ingenteis: & magnum me ab eo accepisse beneficium confitebor. Zoilos, Bauianos, & ceteros huius farinę calumniatores susq; deq; habeo. Vale: & tibi persuade me Serenissimæ familiæ tuæ esse deditissimum: qui vero vehementiore amore, & certiore fide Amplitudinem tuam complectatur, Aulicorum, & subditorum tuorum esse neminem. Iterum Vale. Romæ ex ædibus tuis Idibus Iunij: Anno à Christo nato quingentessimo, nongesimo secundo supra millesimum.

AD ODOARDVM FARNESIVM PRINCIPEM SERENISS.

Et Sanctę Romanę Ecclesię Cardinalem Amplissimum.

Ingens DVARTES *cura Quiritium,*
Et purpurati dulce decus chori,
Quo prisca gaudens Roma alumno,
Sę æquiparat Superis: feraces
Dum terret agros stella Caniculæ,
Dimitte patris multa negotia,
Aegrisq; membris dans quietem,
Te recrea Aonio sub antro:
Hicq; irretorto lumine perlege
Odas, magister quas tuus edidi
Non absque Musis in Latymno,
Qui imminet Aesareæ Crotoni.
Musæ tonanti sydera dant Ioui,
Dant ampla Auerni regna Proserpinæ:
Neptunus illarum fauore
Aequoreas equitat per vndas.
Quis gesta nosset bella sub Ilio,
Musis ni Homerus suaue canentibus,
Vulgasset illa, qua nitenteis
Phœbus agit per inane rhedas?
Ne multa: cęlo Pierides beant,
Ad Ditis oras Enceladum trahunt,
Quod ausus esset e corusco
Pellere Cęlicolas olympo.
Laudes, honores Musæ etiam tuos
Ferent pet annos innumerabiles,
Qua surgit, occiditq; Titan,
Tempora distribuens quadrigis.

IANI

IANI PELVSII
CROTONIATAE
Odarum Liber Primus.

AD ODOARDVM FARNESIVM Principem Serenifs. & S. R. E. Cardinalem Amplifs.



RINCEPS, *Auftriadum fanguine profate,*
Dum tectus tunica frater ahenea
Pugnat cum populo, & rege nefario
Pro regno egregiæ Celtidos, & fide,
Thura adolens manibus benignis,
Deflexis genibus Verbigenam roga,
Telo fulmineo diffipet agmina
Hoftis, qui validis viribus hærefim
Vgo quam peperit, feuit & Arius,
Euehit aufpicijs finiftris,
Et magnæ immerito fceptra Lutetiæ,
Fafcesq; imperij, iuraq; Galliæ,
Aduerfante Dei numine, concupit
Regi peftifero: quem iuuat impij
Vana fuperftitio Lutheri:
Chriftus quippe oculis omnia Lynceis
Qui de fyderijs ædibus afpicit,
Non furda aure preces audiet. & nouos
Hos Leftrigonia ftirpe fatos viros
Obteret igniuomis procellis:
Germanusq; tuus Cæfare clarior,
Fauftis fyderibus, profpera & alite,
Gentis Teutonicæ proteret agmina,
Et lætos rediens victor ad Italos,
Non feret indecorem triumphum.
Tunc Ianus Lyricis vatibus additus,
A te, qui fenij præfidium es mei,
Patris magna tui facta canam pede

Vincto: & tergeminis Laudibus eueham
Prælia magnanimi RANVTI.
At te purpureo tegmine fulgidum,
Quo tot Roma Ducum, & patria Cæsarum,
Nunc nil maius habet, nec sapientius,
Vectabo numeris astra super: nouum
Sydus vt hinc niteas Latinis:
Vates interea Graiugenas lege,
Quos nuper Latio, & iure Quiritium
Non magno absque dedi nomine, videris
Hic raptus Hælenes, excidium Ilij,
Et Priami Proceres peremptos.

AD RANVTIVM FARNESIVM Parmæ, & Placentiæ Principem Serenissimum.

FARNESI *proauis edite regibus,*
Quem Mars à teneris destinat vnguibus
Armis: atque tuum vi sapientiæ
Pectus, terribili munit & ægide
Orta Iouis cerebro Minerua,
Hoc tirocinium quod facis auspice,
Et ductore tuo patre, ferociter
Pugnans cum populis ter temerarijs,
Fiet nobilius: nam tibi gloriam
Perpetuam gladio parabis.
Qui affectat celebris præmia nominis,
O quam dulcis erit militiæ labor,
Hosteis per medios intrepidus ruet,
Sancta Christiadum dummodo pro fide
Magnificos pariat triumphos.
Te reddent alacrem tympana: te tubæ
Permistæ lituis Teutonas in truces
Vrgent; in volucres accipitrem velut:
Angues aut aquilam: prata per herbida
Aut Libycum in vitulos leonem.
Iam nunc te video sanguine Vasconum
Tinctum: te video puluere sordidum:
Septus militibus nobilioribus

Dum

Dum Regem insequeris Parrisiensibus
Funus, & exitium parantem:
Qui de Borbonia natus origine,
Et non Egregia stirpe Valesia,
Iunctus Vasconibus cum popularibus,
Quærit magnificæ sceptra Lutetiæ,
Purpureum & diadema regni.
Iungentur canibus sed capreæ prius,
Et cygnis vlulæ, Gallia quam sinat
Vt rex hæreticus ciuibus imperet:
Atque in Christigenas conspicuos fide
Ius habeat necis atque vitæ.
Quodnam pergis iter? desine peruicax
Clio belligeri prelia Principis,
Et res, quam Calabræ Pierides canant,
Aut vis ingenij narret Homerici,
Dicere tam tenui Camœna?
Illi da potius nostra poëmata,
Ex queîs excidium nouerit Ilij,
Et raptus Helenæ, quum peditum manus,
Et turmas equitum duxit ad oppida,
Seq; tuo recreat sub antro.
Non te, bella licet curet, & agmina,
Ac de consilio patris amabilis
Donet militibus munus adoreæ,
Temnet, sed capiet munifica manu,
Et leget, & releget libellum.

AD ODOARDVM FARNESIVM Principem Serenissimum, & S. R. E. Cardinalem Amplissimum.

Tui DVARTES *docta Lutetia*
Erepta flammis est opera patris
Lutherianis: & tyranni.
Excidio, & peditum rapina:
Tuiq; magna fratris amabilis
Virtute, nuper Vascone ab impio,
Et Teutonum manu profana, est
Rotthomagi incolumis colonus,

Et ciuis

Et eius. Ambos relligio, & fides
Exornat: ingens cognitio artium, &
Doctrina Martis, & Mineruæ
Aequiparat Ducibus Latinis,
Graijsq́; : Homerus quos ait Ilij
Vertisse muros ob Paridis scelus.
Auita virtus vrget ambos
Ad decus, & celebres triumphos.
Nil ergo mirum, Gallia si timens
Sibi ruinam à rege Typhoëio,
Ad hos recurrit: & Dynastæ,
Purpurei metuuntq́; reges.
Henrice Princeps te licet vndiq́;
Sat bellicoso milite munias,
Te filius, paterq́; vincent,
Celtidos & parient salutem.
Si cernis amens quanta pericula
Et hinc, & illinc immineant tibi:
Ne crastina portum subire,
Vnde prius fueras profectus.
Ritus profanos exue, & hęresim,
Te Christianis moribus indue:
Rex Christus antequam merentem
Lethifero feriat flagello.
Regina si te sæua Britanniæ
Nummis, & armis adiuuat impigre,
Quod interest: tuis repugnat
Consilijs Deus æquitatis.
Ausi Gigantes pellere ab æthere
Deos: in altis Thessaliæ iugis,
(Vt cantitant prisci poëtæ)
Pelion imposuere Olympo.
Sed quid tot isthæc monstra furentia
Contra Deorum numina? Iupiter
Ter mole disiecta: sagittis
Detulit hæc Stygias ad vmbras.
Te sauciari glandibus æneis,
Aut funerari fulmine ferreo,
Optant quot extant Christiani,

Idq́;

Idq; Deum precibus fatigant.
Non fallor augur. pectore ab intimo
Precesq; mundo sedibus in sacris
Quas ore fundunt: rector orbis
Audiet omnipotens ab alto.
At Tu DVARTES *quo sapientius*
Aetas renascens nil tulit, aut feret,
Precare Christum pro parentis,
Fratris & ingenui salute.
Namq; ipse motus supplicijs tuis,
Optata lætos ducet ad exitus:
Custosq; fidus, semper ambos
expediet per amara lethi.

Ad Io. Andream Pelus: sui fratris filium, & Iurisconsultum egregium.

Musis amicus pangere carmina
Primo sueui à flore pueritiæ:
In Gallia hinc cano togata
Hæc tibi Pierio sub antro,
Quæ tu relictis tot grauioribus
Rebus, peritis cum socijs legas
Aut in Lacinijs viretis:
Ilicis aut patulæ sub vmbra.
Ad patris iuit castra RANVTIVS
Bellum gerentis Celtide in inclyta,
Cum rege Vasconum profano,
Eius, & hæreticis maniplis:
Quando ipse cunctis est animosior.
Quot arma gestant Semideis viris:
(Vt debeo) multa illi ab hoste
Teutonico timeo pericla.
Si Martis essem miles, vt innubæ
Matris Mineruę, & patris Apollinis
Sum purus, & castus sacerdos:
Vectus equo celeri Medusæ.
Illuc volarem, vel dromadarijs,
Comes futurus rebus in arduis
Nato, patriq;, & hostis ictus
Exciperem clypeo, vel ipso

Me,

Me, pro patronis, & Dominis pijs,
Et hic, & illic non timido mori.
Sed quando tale non patrari
Sanguis hebes patitur senectæ:
Parmæ precabor continue Deum,
Vt seruet ambos incolumes, velut
Quum saucios ferro leones
Per medias rapit ira cędes.
Sydus Crotonis nobile patriæ,
Iurisq; lumen chare nepos idem
A Virgine impetra Maria,
Aedibus in patrijs, vel aris.
Illi sacrarunt non sine flamine
In vrbe nostra quas veteres patres:
Isthæc voluntas namq; in illos
Expeto posgenitis probetur.
Sunt ampliori carmine, sunt lyra
Maiore digni, non ego pernego:
Sed patruus tuus minuta
Euehet vt poterit Camœna.
Si Musa vires Calliope dabit,
Illustriores reddet: & inseret
Diuis: noua vt quoque ipsi in alto
Astra queant radiare cœlo.

In Gallohæreticos.

Procul profani Celtide ab aurea,
Nouum Typhęum viribus omnibus
Quot adiutatis, quo capessat
Munia, & imperij secures.
Quæ vos Erinnys, quis furor incitat
Ad arma contra numina Cælitum?
Quæ per tot annos, totq; secla
Galligenæ coluere patres?
Qui sarcta semper tectaq; maximi
Christi tuentes templa nitentia,
Ab vrbibus, suisq; regnis
Barbariem hæreseos fugarunt.
Franciscus ex quo miscuit agmina

Alpina

Alpina Turcis, & ratibus rateis
Sacras profanis, viq, summa
Profuit Othomano Tyranno
Contra maniplos Cęsaris & trabes,
Captiua ducens millia tot virûm
Ad Bosphori sinum gementis,
Regnaq, Threicij colubri,
Aeterna Monas Sanctaq, Trinitas
Quæ cuncta nouit, tecta Lutetiæ
Næ dereliquit: næ fauorem
Ad populos alios retorsit,
Regemq, septum milite plurimo
Sicariorum, & gente nefaria,
Permisit, vnicus sacerdos
Aedibus in medijs necaret.
Quando periuit progenie carens
Successionis legitimæ: nouus
Sibi Typhæus iure nullo
Vendicat imperij coronam.
Dent sceptra Galli Celtidos aureæ
Regi, Arianam qui sapit hæresim?
Fidemq, sanctam vult recisam
Stirpitus à Scythię colonis?
Has spes inanes, votaq, inania
Omitte demens: cunctisator Deus
Te dextera trudet rubente
Christus ad anguipedum cateruas.
Iam tendit arcum, spicula iam capit
Intincta sæuæ sanguine viperæ,
Quæ vibret in pectus tyranni
Borbonia rabie educati.
Megæra toruis iuncta sororibus,
Et nexa spiris anguineis comas,
Iam prodit (horrendum videri)
E Stygijs tenebris ad auras,
Vt te nefando cum grege militum
Proteruiorum trudat ad inferos:
Hic mille vinctus vt catenis
Perpetua cruciere flamma.

AD RANVTIVM FARNESIVM Parmę, & Placent· Princip. Serenifs.

Redi RANVTI *ſydere dextero*
Ad regna Parmæ, & regna Placentiæ:
Bellaſſe ſit ſat, ter nefando
Cum populo, & Duce ter ſceleſto:
Es natus armis, bellaq; Palladis
Ope, & Gradiuo propitio vt geras
Ad Sequanæ ripas virentes
Borbonio metuenda regi.
Scit Belga fortis, ſcit Batauus ferox,
Scit Gallus acer, quid valeas manu,
Cunctos ſed ante ſcit Britannus
Auſonijs domitus ſagittis.
Te expectat omnis ciuis & aduena
Vlnis (vt aiunt) dulciter obuijs:
Plaudente cętu, & vrbe lęta
Crede mihi, repetes penates.
Res hic aguntur te ſine, non bene,
Annona cara eſt: peſtis & opprimit
Cum plebe commiſtos tumentes
Progenie proaua Quirites.
Reuertere Heros magne reuertere,
Tuæ vt capeſſas ſceptra Placentiæ,
Parmæ & fidelis, quæ morantem
Te aſſiduis precibus peteſſit.
Vxore ducta, ſanguine regio,
Auctoq; pulchra progenie patre,
Ad bella deteſtanda Gallis
Vectus equo celeri redibis.

De Lutetia Galloheręticorum obſidione liberata.

Nunc eſt canendum, nunc lyra tibię
Iungenda, plantis nunc Saliaribus
Pulſanda tellus, nunc ſtruendæ
Per plateas epulæ ſodales:
Antêhac latentem promere Liberum
Nefas, Typhæus dum nouus arduos
Lutetiæ muros ſtudebat

Rumpere

Rumpere bombiuomis procellis,
Hæres relictus sed sine legibus,
Et iure, ab illo rege nefario,
Iuuante Christo, quem sacerdos
Vt tenerum iugulauit agnum.
Sed Rex PHILIPPVS *magnus Iberiæ*
Ausis coëgit cedere talibus:
FARNESIO *ducente Iberos*
Principe & Ausonias phalanges,
Equis adurgens, & peditum manu,
Molles capellas Appulus vt lupus,
Aut vertagus celer fugaces
In calabra regione ceruos,
Malasq; vulpes: vt laqueis daret
Christi rebellem: qui temerarius
Dum Galliæ sperat coronam, &
Purpureum diadema regni,
Lutheriano cum grege turpiter
Ab vrbe pulsus: Pœnus vt Annibal
Se Colchico tollet veneno,
Pectora vel fodiet machæra.
Si gloriosam Marte Lutetiam
Rursus lacesset flante Fauonio,
Ab hoste ductus in triumpho,
Vinctus aget superest quod æui.

De Melita Turcarum obsidione liberata.

Nunc Christiani gens pia flamines,
Quos de Sabæis partibus aduehunt
Vrbes ad Italas phaselis
Assyrij, atque Arabes, odores
De more sanctis ignibus vrite,
Patriq; Christo reddite gratias,
Qui supplices seruos precantes
Audijt omnipotens ab alto.
Ferox tyrannus Threicij soli,
Rebus secundis ebrius, insulæ
Apostolo Paulo dicatæ
Excidium Melitæ parabat.

Et iam

Et iam carinis littora millibus
Dextra, & sinistra texerat: ac breui
Hermi arce capta, & ense cæsis
Ciuibus, & socijs, fere ipsam
Vrbem occuparat: quum Superûm pater
Sic sæuientem prospiciens, Ducem
Classis PHILIPPI *de Peloro*
Impulit in Selymi phalanges,
Suos necari e puppibus intuens
Ductor Scytharum, corripuit fugam:
Vim Christus inspirat Latinis,
Hostibus inijciens pauorem.
Infecta tellus sanguine barbaro
Pingues colonis reddit agros: ferus
At Turca detestatus arma
Ausonia, & Melitam, per æquor
It ad gementis littora Bosphori,
Amissa lugens fortia corpora;
Fas est eat, peiora fata
Littore in Actiaco videbit.

De victoria Christianę classis ad Echinadas.

Nunc est ab vno littore ad alterum
Christus ferendus carminibus nouis,
Fauore cuius, Thracis anguis
Austriades iuuenis trecentas
Cepit carinas Actiaco in mari,
Et tinxit æquor sanguine Turcico:
Dans Protei dapes opimas
Squamigero pecori sub vndis.
Immanitatis Rex Mohometicæ
Partis triumphis plus nimio tumens,
Funus per æquor & ruinam
Adriaco imperio parabat
Cum classe plena milite barbaro:
Et iam beatam Cypridos insulam
Vastarat ense & igne, ductis
Littus ad Ismarium colonis:
Sed rex PHILIPPVS *patribus Adriæ,*
Armisq; iunctus Pontificis Pij,

Ductore germano, tyrannum
Vicit in æquoreo duello.
Gentis profanæ colla ferocia
Submersa vidit marmoris arbiter,
Vndisq; ferri scuta, & arcus,
Et pharetras grauidas sagittis:
Ductor Scytharum concidit: & duo
Sensere nati ferrea vincula,
Quæ gentibus superbientes
Ausonijs fuerant minati.
Nos ergo, pascet sydera dum polus,
Rex Christe regum maxime, ad æthera
Te vindicem nostræ salutis
Laudibus haud solitis feremus.

De Victoria Actiaca.

Nunc sunt amici Cęlicolûm patri
Grates agendæ sanguine nunc sacro
Aræ imbuendæ: nunc comanti
Fana Deûm decoranda fronde.
Regina Memphis coniuge quæ nouo
Inflata, lętis rebus & ebria,
Regnum Quirini pro nefandi
Concubitus pretio popôscit,
Qua littus vrget Leucadium mare,
Cum classe tota Cæsare ab inclyto
Est victa: turpis & maritus
Se proprio gladio peremit.
Vectus per vndas cęruleis rotis
Neptunus igneis serpere per rates
Aspexit, & rubere pontum
Actiacum Phario cruore:
Vidit feroces Martigenas manu
De classe capta deijcere ad mare
Aegyptios ferocienteis,
Traijcere & iaculis acutis.
Regina ventis auxiliaribus
Vix fugit vna naue superstite

Ad urbis augustæ penates,
Et pauidos populos Anubis.
Hic non coactis militibus, suæ
Firmat gementis mœnia patriæ:
Sed corpus admouet colubris,
Et cadit exanimis veneno.
Virago magnis edita regibus,
Ab hoste vitam sumere, dedecus
Putauit, & vinctam catenis
Ducier in Latium triumpho.

Ad Prosperum Podianum Perusinum.

Non picta semper floribus est humus,
Aut sylua Cauri murmure perstrepit,
Nec auctus imbre Tibris usque
Dilluuiem meditatur agris:
Nec nauta semper sollicitat mare,
Aut suaue Progne continuat melos
Dies per omneis: nec colonus
Findit humum assiduo ligone.
Tu grata semper commoda negligens,
Nouem Camœnas sedulus excitas,
Ac Cynthius surgens cadensq́;
Te videt in studijs sepultum
Dilecte Prosper: tristia dulcibus
Quandoque misce. Fer puer ocyus
Huc vina vecta de Falernis
Collibus, ex apio coronas
Contexe, verno tempore quod tulit
Soluta tellus: hæc Genio dies,
Patri dicetur, & Lyęo,
Non sine Achæmenio vapore.
Curas edaces dissipat Euius,
Et spem reducit mentibus anxijs,
Lętata ludo mens, & ipsa
Fortior ad studium resurgit.

Ad

Ad Berardinum Rotam Neapolitanum.

Non semper pluuias Iupiter & niues
In terræ gremium mittit ab æthere,
Montes nec altos vsque telo
Percutit, aerias vel arces:
Nec semper pauidos persequitur cane
Venator lepores: aut laqueo grues
Totum per annum captat auceps,
Deijcit aut iaculo columbas.
Tu semper querulo carmine còniugem
Berardine vocas: nec gemitus die,
Nec nocte mulces: tristis vsque
Sed lacrymis oculos fatigas:
At non Eurydicen perpetuo suam
Coniux Bistonio fleuit in Ismaro:
Nec Hectorem menses per omneis
Andromache gemuit peremptum.
Tandem pone modum tot querimonijs,
Et mecum (madidus Nyctileo prius)
In colle qua refulget Aegle,
Austriadæ iuuenis trophæa,
Et tinctas Scythico sanguine Echinadas
Arguta cithara concine, vel lyra:
Hoc nullus vnquam ductus vrbeis
Clarior ad Latias triumphus.

Ad Paulum Labrutum Crotoniatam, & Iurisconsultum egregium.

Quid matrem lacrymis, & querimonijs
Noctes atque dies clausus in ædibus
Dulcis Paule tibi non ita creditam
Frustra poscis ab Atropo?
Quicquid Sol oriens cernit, & occidens,
Et quicquid veniens, vel fugiens lauat
Vndis cęruleis Oceanus pater,
Sentit fata nouissima.
Sis vel nobilibus natus in vrbibus
De summa, & celebri stirpe Quiritium,

Vel fece ex populi, plebe vel infima,
In parua genitus domo,
Nil est: cum reliquis ibis ad Inferos,
Quo quum Mercurius te semel intulit,
Non hinc muneribus, vel prece supplici,
Te cymba reuehet Charon.
Ergo tristitię fige modum tuæ,
Cælestemq; patrem Verbigenam roga,
Matri perpetuam dei requiem, & sinat
Inter viuere Cęlites.

Cassandræ de Ilij excidio Vaticinium.

Quum pastor Phrygius pontigradas trabes
In Spartam patrio littore solueret,
Vt promissam Helenen Cypride ab improba
Sacrum ferret in Ilium.
Cassandra horrifico concita numine,
Vatesq; ante alias præscia temporis
Venturi, cecinit fata silentibus
Hæc turbis popularibus.
Mars Graius tunicis tectus ahenis,
Emensus pelagus mille triremibus,
Cinget teligeris Pergama copijs,
Vt rursus reuehat domum
Quam frater rapuit perfidus hospitam.
Ciues pro patria non metuent mori,
Fisiq; Hectoreis viribus, agmina
Fundent gentis Achaicæ.
Sed postquam Thetidis filius Hectora
Pugnantem perimet, culmine ab arduo
Vrbis Dardaniæ mœnia diruent
Ductores Danaum dolo.
Aras ante Iouis rex Priamus cadet:
Regno orbata parens, coniuge, liberis,
Scandet serua Ducis Dulichij rates
Multis non sine lacrymis.
Cum Xantho Simois decolor ad mare
Curret, scuta ferens atque cadauera,

Dum

Dum victor gladio cuncta metens, trahet
Ad classem Iliadas nurus.
Germana Aeacidæ concidet hostia
A Pyrrho impauido cæsa Polyxena:
De turre Astyanax post dabitur puer
Præceps Sisyphia manu.
Tanti causa mali Tyndaris impudens
Troiæ æquata solo mœnia deserens,
Ibit puppe viri rursus ad impiæ
Sospes regna Laconiæ.

Ad Franciscum Pignam Patauinum.
allium detestatur.

Non allium: nocentius sed toxicum
Fuit, quod ira Manium
Edi: Megæra faucibus sub Tænari
Spuma irrigauit Cerberi.
O rusticorum duriora cautibus
Aerisq; massis viscera.
Quid peius vnquam me venenum Colchicum
Læsisset? aut absinthium?
Proh Iupiter supreme totus ardeo,
Vt ardet Aetna Trinacris:
Num sæua Circe quæ solebat pharmacis
Mutare fœdos in sues
Humana membra, temperauit has dapes?
An Veia ter venefica?
Obiuit hoc ferarum terror Hercules,
Et non Echydnæ sanguine.
Herosq; & hæres Herculis Pæantius
Isthoc eodem concidit.
Si pastus vnquam tale Pigna, basium
Daturus es Lucretiæ,
Os deneget, recedat, & te frigidum
Precor relinquat in toro.

Ad Christum Omnipotentem. Morbum
Gallicum detestatur.

Quæ pestis hæc quæ sæuit in præcordijs?
Atque ima rodit viscera?

Non æstuosæ tanta vis Caniculæ
Sic obsidet Calabriæ
Nuda arua ramis: quanta me vorat lues,
Serpens per artus intimos:
Hæret medullis, & perefis ossibus,
Cor languor ægrum conficit:
Corpus solutis artuum compagibus,
Totum fatiscit viribus:
Nec nocte somnum nec capio somnum die:
Sed vsque sæuo torqueor
Dolore: nulla in parte nostri corporis
Color, vigorq́, cernitur.
Num creuit atra Ditis in caligine.
Ex ore manans Cerberi?
An venit huc (vt fertur) vsque ab India?
An bellicosa ex Gallia?
Nessi cruore non obiuit Hercules
Morbi sed huius vlcere:
Seruator orbis Christe me precor tuum
A peste tanta libera.

In Tyrannum.

Quæ felibus cum muribus discordia,
Mi cum tyrannide est tua,
Bis tincta quamuis vestiat te purpura
Fluasq́, luxu Persico:
Te vulgus odit, turba monstrat indice,
Et plebs tyrannum dictitat.
Tauro Perilli, atque Ixionis orbibus
Torque reorum corpora,
Auferq́, syluas, prata, tecta subditis,
Vt filios dites tuos:
In te poetæ molientur spicula
Lycambis vncta sanguine:
Christusq́, rector orbis æquo lumine
Qui res videt mortalium,
Te trudet Orco deuorandum Cerbero,
Peccata ceu merent tua.

Nec fœda coniux, nec profani filij,
Sicariorum nec cohors,
Te liberabunt à Gehennæ incendio,
Aut Mortis vngue, & faucibus.

In Henricum regem Vasconum.

Henrice fulte Dęmonum vecordia,
Erinnyumq; amentia,
Quid expetiscis nobilis Lutetię
Fræna, & coronam Franciæ?
Nec verus hæres, res nec ipsa vt indicat,
Valesiorum e sanguine?
Tibi licere cuncta credis ob gregem
Quem militum tecum geris?
Aeterna Monas sempiterna Trinitas
Non regna donat regibus,
Sectam sequuntur qui Lutheri, & Arij,
Vgonis & Ludibria:
Fas esse reris, Christiana Gallia
Emancipetur hæresi?
O ter sceleste, ter profane, & impie
Non hinc ad Inferos abis?
Vt deuorere à Cerbero Ditis cane,
Aut sæuiore bellua?
Rex execrande & exteris, & ciuibus,
Queîs expiere victimis?
Portenta num sunt hæc ferenda Franciæ,
Sacris profana admisceas?
Franciscus olim Christiana pessimus
Cum classe iunxit Turcicam,
Addensq; Apellis integros, ad Italas
Obuertit vrbeis, & mare.
Quot fœminas primarias, quot nobiles
In seruitutem ad Ismarum
Duxit Quirites? capta quot sunt oppida?
Quot fundo ab imo diruta?
Tu nunc Typhęus alter, & nouus Gyas
Ad arma Gallos concitas:

Commune misces oppidis incendium,
S erens vbiq; iurgia:
Agisq; cunctos mentibus discordibus,
Palmisq;, cædem ad mutuam.
Orbantur vrbes interim cultoribus,
Et subditi pecunia.
Quis sæuus hostis Galliæ hunc videns statum
A lacrymis se temperet?
Fœtæ læenæ suxerit sub Caucaso
Distenta quamuis vbera?
Credam Gigantas cæli ab arce pellere
Ausos fuisse Cælites?
Credam Charibdis obsitum lupis femur?
Credam triformem Cynthiam?
Quæ monstra, quæ portenta, quas porro feras
Non vincit hic nouus Gyas?
Quando periuit Hercules cum Theseo,
Fortisq; vector Pegasi,
Parmensis Heros edoma hoc monstrum ferox,
Et libera tot oppida
A seruitute: namq; te magno Ioui.
Aequabimus victoria.

Finis Primi Libri.

In pag. 5. pro *βασαζώντων* leg. *βαστάζώντων*.
In pag. 9. pro quam lege quas

IANI PELVSII
CROTONIATAE
Odarum Liber Secundus.

Ad candidum Lectorem.


As odulas, & hymnos
Properante quos Camæna
Crotonis in Latymno
Scripsit Crotoniata,
Dicauit & DVARTAE
Hero suo, & patrono,
Amice lector oro
Vt Lectites libenter
Sub arbuto comata,
Aut vite sub Lyæi.
Cernes in hoc libello
Parum Laborioso,
Fulgere sic DVARTEM
Honore, laude, fama
Inter suos Quirites,
Patresq; porpuratos,
Vt pura noctiluca
Phœbi soror corusci
Inter faces minores.
RANVTIVM*q; nosces*
Scientia duelli,
Et arte dimicandi
Superis parem, fauore
Mauortis, & Mineruæ.
Pietate vero, & æqui
Rectiq; lance iuris
Superare & hos, & illos
Duces superbientes,
Proceresq; fortiores,
Quos Sparta, quos Athenæ,
Tulit vel alma Roma,

Orbis

Orbis caput, parensq́;
Regum potentiorum,
Fideiq́; Christianæ
Basis, decusq́; mundi.

AD ODOARDVM FARNESIVM Principem Serenifs. & S. R. E. Cardinalem Amplifs.

Præsul sacratæ gloria purpuræ,
Tibi libellum mittimus alterum,
Quem nos eodem ceu priorem
Fecimus ex oleo, & farina:
Tui hic parentis prælia perleges
Facta insolenti cum Duce Vasconum,
Qui copijs Lutherianis
Fretus, & auxilijs Elisæ,
Audet decoræ sceptra Lutetiæ
Et Christianæ stemmata Galliæ
Sperare: sed non cernit amens
Stare Deum à populo fideli.
Nempe hic scelestus parturiet sibi,
Regi minatur quicquid Iberiæ:
Namq́; appetens regni coronam,
Sentiet Ausonias catenas:
Seroq́; discet non sine lacrymis,
Quid sit Deorum temnere numina,
E præliari cum feroce
Patre tuo, & validis Iberis.
Christum DVARTES *interea roga,*
Tuum parentem seruet ab hostium
Dolo, & sagittis: eius ipse
Facta canam & celebres triumphos.

Ad Carolum Contem Illustrifs. & Reuerendiffimum Anconitanorum Episcopum.

O qui tot annos non sine laudibus
In Vaticana Curia, & ędibus
FARNESIANIS *cum caterua*
Nobilium, Procerumq́; natis
Versaris, istos non aue Homerica

Quos edo versus perlege. candida
Qua fronte lectitas tabellas
Aeolias, Latiasq; chartas.
Te Carle Ianus concinit vt potest
Graio & Latino pectine: sed tuæ
Virtutis antistare famam
Omnibus ingenijs peroptat:
Si Phœbus illi suppetias feret,
Terras per omneis indigitaberis
Episcopus pius, bonusq;,
Et sapiens pater æquitatis.
Est vsque tutus grex tuus à lupis,
Tutumq; carpit gramen in omnibus
Locis, quot ipse pastor æquus
Iustitia, & pietate seruas.
Quæcunque laudas, nemo redarguit:
Quæcunque culpas quilibet approbat:
O certa fandi norma: rectæ
O specimen, columenq; vitæ.
Breui Sacerdos Summus, & Optimus
Te purpuratis patribus inseret:
Tua hoc honeste exacta vita
Postulat, ingenuiq; mores.
Es namq; nomen non sine nomine,
Fortis bonarum tutor & artium,
Et rhetoras, clarosq; vates
Accipis hospitio, & tueris;
Musisq; amicus, viribus omnibus
Musis molestam barbariem fugas:
Ac litteras politiores
Herculis indomiti columnas
Protendis vltra. Sydereis plagis
Canore dulcis te statuam lyræ,
Qua parte Cæsar, aut tremendus
Amphytrioniades refulget.

Ad Oliuerium Seraphinum Rotæ (quam aiunt) dijudicandis causis Præpositum.

Ornate iuris flore peritiæ
Primis ab annis ante alios viros,

Quot Gallicæ nurus tulere,
Atq; Italæ peperere matres,
In iudicandis litibus arbiter,
Aequoq; iudex iustior Aeaco:
Quem Iupiter præesse iussit
Manibus, in regione Auerni.
Dignoscis astus, consilia, & modos
Actoris, ægras & lacrymas rei:
Componis hinc causas forenses
Iudicio Seraphine recto.
Qui nigra ab albis, aurea ab æreis
Vir Vaticanæ præpositus Rotæ,
Secernere ignorat: seueras
Mon poterit stabilire leges.
Nam sæpe captus causidici dolo,
A veritatis tramite deuius
Deflectit ad mendaciorum
Tesqua, per haud faciles salebras.
Quod multa gignit damna clientibus:
Non iure causa namq; sua cadunt:
Rebusq; cedendo paternis,
Aut miseri peregrina in ora,
Vsque ad supremum temporis exitum
Quod restat æui, cum lacrymis agunt:
Aut ferre nesciij dolorem,
Pectora transadigunt machæra.
Hæc nemo sentit iudice te mala,
Nam cuncta lustras lumine Lynceo,
Et iudicas lites molestas
Iustifica grauitate iuris.
Sed quando nostri debilis ingeni
Non Musa sueuit talia persequi:
Te Pindari canet Camœna,
Et fidibus, citharaq; Flacci.
Es namq; doctis præsidium viris,
Iuuasq; Musas munifica manu:
Tuos honores vnde passim
Egregij celebrant poetę.
Hinc esse Ianus fas putat, & bene:

Te

Te ferre ad æthram Pierijs rotis,
Aeternæ & immortalitati
Carmine perpetuo sacrare.

AD RANVTIVM FARNESIVM Parmæ, & Placentiæ Principem Serenissimum.

Princeps RANVTI *Marte fretus Italo,*
Qui castra mutatis equis
Petis, futurus filius comes patri
Contra arma regis Vasconum:
Labore mutans otium, periculis
Caput trecentis obijcis:
Paratus atra vulnera, & discrimina
Subire pro sancta fide:
Et pro decoro Christiani nominis
Cum laude mortem perpeti.
Ego hic relictus vt puellus orphanus,
Siccus rogabo, & vuidus,
Vt trinus vnus orbis huius machinam
Qui temperat nutu Deus,
Amara te per lethi, acuta prælij
Te liberet periculis:
Et more prisco laurea vinctus caput,
Ducas triumphum ad Italos.
Vos interim Libetrides pijssima
Venite vatum numina,
Et barbiton pulsate, iunctum barbito
Pulsate dulce nablium.
Eiusq; patris ferte cantu ad sydera
Tot nobiles victorias:
Quippe ipse dignum præmium laboribus
Vestris dabit RANVTIVS.
Qui, quum quieto Mars quiescit otio,
Ad arma non citans viros:
Frequentat antra vestra, vestra mystica
Colit sacerdos integer:
(Quod laude dignum) subditis, & ciuibus
Procurat vsque commoda.

AD RANVTIVM FARNESIVM
Parmę, & Placent. Princip. Serenifs.

Decus meum RANVTI,
In ore ſeſſitare
Cuius Suada gaudet:
Aſtræa virgo pectus
Communit, & penates:
Themisq́; præſes æqui
A te, tuisq́; ſceptris
Nunquam (quod ipſe noui)
Latum recedit vnguem.
Si lectus eſt Coluthus,
Et virginis Lacænæ
Raptus: Phrygisq́; præda
Aduecta naue Troiam:
Nunc oro te per ipſas
Muſas tibi fauenteis,
Lauri legas ſub vmbra,
Tectiſuè ſub paternis
Aegyptium poetam.
Qui cum lepore ſcribit,
Et laude glorioſa
Priami Duces peremptos,
Et Ilium peruſtum
Græco igne, & arte Graia.
Peluſius Magiſter
Tuus, tuusq́; vates
Tibi, tuoq́; fratri
Grateis aget trecentas,
Et pro ſalute patris
Supplex Deum rogabit.

Ad Neſtorem Pignam Patauinum.

Hæc Pigna, mater quam Cybele ſua
Manu odorato ſeuit in hortulo,
Dextra, & ſiniſtra tuta ab imbre,
Solis & igniferis ſagittis,
Creſcet Mineruæ: creſcet Apollini:
Doctoq́; creſcet Pieridum choro
Amica: fructus & ſuaueis

Menſe

Menſe ſuo pariet. potentes
Quêis tam Tyranni condecorent dapes:
Quam queîs in alta Cęlicolûm domo
In ordinem Deûm relati
Purpurei Proceres fruantur.
Eius ſub vmbrá pocula Liberi
Siccis poëtæ faucibus haurient:
Longumq; diffundent in æuum
Neſtoris egregios honores.
Virtute mactum, laudibus inclytum
Ianus ſodalem præferet omnibus
Viris, quot ætas hæc creauit
Vrbibus in Venetis, & oris.
Eſt namq; vitæ purus, & integer,
Grauiſq; nulli, commodus omnibus,
Surgente & occidente Sole,
Deditus ingenuo labori.

DE ALEXANDRO FARNESIO Principe, & S. R. E. Card. Ampliſſimo.

Quicunque viſit mœnia Romuli
Fundata fauſto ſydere: vt omnibus
Dent iura terris, atque ſanctæ
Sint fidei baſis, atque ſedes,
Caputq; mundi: quem Latia manu
Vicere quondam non ſine bellici
Fauore Martis: multa viſit
Perpetuis memoranda faſtis:
Sed ſi Senatus Purpurei decus
FARNESIANO ſanguine proſatum
Vno minorem Cardinalem
Neſcio quo Genio ſiniſtro,
Non viſit: ædes ad patrias redit
Parum ſecundo numine Cęlitum:
Nam Sol ALEXANDRO coruſcis
Nil videt egregius ſub aſtris.
Nec (ni futuri præſcia temporis
Mi falſa vates Deiphobe canit)

Videbit

Videbit olim: nostra quamuis
Secla vetus redeant in aurum.
Dignus supremum qui teneat gradum
In Vaticano culmine, & induat
Si veste Petri: & sacra gestet
Sceptra manu, & triplicem tiaram.

Ad Hieronymum Zenardum Landum Placentinum.

Non semper agros imbribus irrigat
Ruens ab alto Iupiter æthere,
Rateis nec vsque per profundum
Armenias lacerant procellæ:
Dies nec omneis continuat melos
Progne, tyranni flagitium arguens:
Aut populos fatigat Auster
Vsque, vel alticomas cupressus.
Zenarde semper tu querulis modis,
Et luctuoso carmine verberas
Fratrem Camillum: quem ministra
Eripuit tibi Parca Lethi.
At non adempto pro genito senex
Qui terna vixit secula lacrymas
Tot fudit olim: nec sorores
Hectora sic gemuere cæsum.
Impone finem tot querimoniis:
Et vel RANVTI *prelia filij,*
Vel bella ALEXANDRI *parentis*
Aeoliam ad citharam canamus,
Vel liberata e faucibus impij
Hostis superbæ tecta Lutetiæ,
FARNESII *Ducis labore,*
Regis & auspicijs PHILIPPI.

In Obitum Octauij Farnesij Parmę, & Placentiæ Ducis Serenissimi.

Dum splendidum videbo
Phœbi iubar, facesq;
Tot syderum micanteis,
Lugebo mæstus vsque

FAR-

FARNESII *ad ſepulchrum*
Ducis mei, & patroni
Pietate, & arte belli
Hinc vſque ad aſtra noti.
Quem non Gradiuus atri
Auidiſſimus cruoris,
In prælijs trecentis
Germaniæ, & Iugurthæ
Ferocientis oræ
Ademit: illa ademit
Vis fati acerba. Turris
Quam nulla cincta muris
Adamantinis, nec imber,
Violentus aut Iapyx,
Furorq́; Martis vnquam
Effugerit: nec vndans
Rates fretum ſecantes.
Quis forte dicet: iſtis
Querimonijs amaris,
Et lacrymis, ab vrna
Excire non valebis
Manes Ducis: proinde
Patienter eſt ferendum
Malum: quod arte nulla
Vitare, vel medela
Queas. Fateris inquam
Amice vera: triſtis
Placet mihi ſed ales,
Quæ nuntians decorum
Ver, vſque & vſque plorat,
Itym querens in alno.
Sis triſtis ipſa quamuis,
Nimisq́; luctuoſa
Niobe, tamen Deorum
Nobis haberis inſtar:
Quæ ſaxeum ſepulchrum
Fletu rigas perenni.
Eſſem Charybdis, eſſem
Chimęra, Scylla, & excors,

Si funus hoc acerbum,
Quantum quod est acerbum
Ducis potentioris,
Dum purpurat nitente
Sol luce; nox tenebris
Humana velat atris,
Non lacrymis profusis
(Vt conuenit) lauarem.
An lanus esse possum
Tot immemor bonorum,
In me benignus Heros
Quæ contulit? nigrantem
Me trudat ante ad Orcum
Telo Deus corusco,
Quam tale non patrandum
Patrem scelus, nefasq́.
Dum vita permanebit,
Vescarq́ luce, & aura:
Flebo vsque, & vsque flebo:
Et flere sic, peringens
Erit mihi voluptas.

Deflet Obitum Xanthi Pelusij fratris.

Si lacrymis valerem
Spirabili aura, & almo
Solis nitore cassos
Reuocare rursus hasce
Habitabiles ad oras:
Noctes diesq́ flerem
Germane Xanthe, vitę
Vt ocyus volante
Hirundine, & sagitta,
Te redderem priori.
Sed quando nos videmus,
Ad hoc inane votum
Nil lacrymas valere:
Quid nænijs tot istis
Me macerem? Thaliam
Quæ magna facta cantu
Ad alta tollit astra,

Potius precabor, vt te
Per multa secla, & annos
Aeternet: & perennes
Concedat esse honores,
Laudemq; sempiternam,
Quam litteris Latinis
Olim tibi parasti.

Nicolaus Pelusius Iani pater, Angelæ Messalæ Vxoris Obitum deflet.

Prôh Mors acerba quantis
Nos obruit procellis,
Nil tale quum merentem
Messala nupta tantum
Nobis amata, quantum
Amabilis puella,
Aut vnicus puellus
A matre Brutiana,
Aut Appulo parente,
Te condidit sepulchro:
Tuumq; me reliquit
In lacrymis amaris,
Luctuq; sempiterno.
Me nulla Nympha quamuis
Sit stirpe nata regum,
Aut sanguine ex Deorum,
Et Tyndarim, vel Heben
Vincat decore formæ,
Suum virum vocabit,
Arctisq; stringet vlnis
De nocte per cubile.
Tu viua sola coniux
Misero vt mihi fuisti,
Sic mortua, & sepulta
Dicere sola coniux:
Nostrumq; nulla tollet
Quæ cuncta tollit æui
Longinquitas dolorem;
Sed fiet vsque, & vsque
Mage in dies acerbus.

Secura viue, natos
Enixa quos fuiſti
Tibi, mihiq; : nulla
Nouerca tanget; illis
Charus parens vterq;
Ero domi, foriſq;.
Deoſq; comprecabor,
Superſtites parenti
Viuant bene & beate:
Boniſq; perfruantur
Quiete cum perenni,
Quæ parta cum labore
Illis meo relinquam.

IN FEBRIM ODOARDI FARNESII
Principis Sereniſs. & S. R. E. Cardinalis Ampliſs.

Febris miniſtra Lethi,
Iuuenculiſq; cunctis,
Puelluliſq; cunctis
Inuiſa, vt ipſa peſtis,
Fameſq; alumna Mortis,
Tun' prôh ſcelus nefandum,
Comitante te rigore,
Comitante te furore,
Pallore fœdo, & æſtu,
Es auſa Cardinalis
Membra aggredi DVARTIS*?*
Atque incitare Parcas,
Properent ſecare ſtamen
Tam Principis benigni?
Tam Præſulis verendi?
Quo nemo viuit vſquam
Meliorq;, ſanctiorq;,
Nec viuet: ipſa quamuis
Aetas reuertat auri?
Quot agmina hinc malorum,
Quot fletuum cohortes
Nos Aulicos manerent,
Et Romuli nepotes?

Si luce cassus iret
Ad astra clara Diuûm?
Sedilia ad piorum?
Ab Italis abiret
Minerua: ab Vrbe abiret
Apollo: nec poëtis
Daret amplius liquores,
Quos fundit Hippocrene.
Nam per Deos Homeri,
Geniosq́; Mantuanos,
Quid Gratiæ sine illo
Illic, & hic valerent?
Musæ nouem silerent,
Sileret & Suada,
Et barbiti silerent,
Vt Orpheo perempto
Ab impijs puellis,
Siluisse Thraces aiunt.
Prôh nostra sors acerba,
Dolorq́; vix ferendus:
Erit ne lacrymosis
Concessa tanta Fatis
Licentia, & facultas,
Nil discrepet scelestus
Ab integro? sed æque
Moriatur hic, & ille,
In flore vel iuuentæ,
Vel vltima in senecta?
An ocyus sub Orcum
An serius profanus,
Inutilisq́; venter
Rapiatur ad Megæram,
Pœnasq́; sempiternas,
Iactura parua habetur.
At æstimanda magni
Nostri salus DVARTIS:
Quo Roma gaudet omnis
Superstite, & valente:
Vitalibus sed auris,

Solisq; luce functo,
Querimonias perennes
Et lacrymas datura,
Et quod magis dolendum,
Per nulla secla talem
Paritura Cardinalem.

σωτηρία in eundem.

Quis abneget Lutheri,
Aut Arij satelles,
Rerum Deum potiri?
Qui seruat, atque perdit
Quem vult manu potenti?
Christus profane Christus
Deus vnus, atque trinus,
Tot syderum micantes
Orbes, facesq; cæli,
Et vasta regna mundi
Moderatur, & gubernat.
Quam pene noster Heros
Aspexerat DVARTES
Non Aeaci tribunal,
Aut Cerberum trifaucem,
Specusuè hiantis Orci:
Sed Cælitum beatas
Domos, piæq; genti
Parata regna tantum.
At sæua tela Mortis
Volente patre Diuûm,
Euasit, his & auris
Datur ætheris fruisci.
Et esse purpuratis
Cum patribus: Petriq;
In æde, pro salute
Patris rogare Christum.
En viuit ille, viuit,
Viuatq; quot Sibylla
Cumana vixit annos:
Namq; ortus est iuuare

Quot litteris Latinis
Vacant: fouentq́, Graias
Musas. boni Quirites
Accepta Roma cælo est.
Nam Parca quæ volebat
Eius secare stamen,
Pietate mota tanti
Herois: & verendi
Tam Præsulis iuuenta,
Illi pepercit vltro:
Promittit illi & annos
Ducenda per trecentos
Meliore fila lana.
Vos ò polituli omnes,
Quos implicare frontem
Hedera iuuat virente,
Gaudete ter, quaterq́,,
Salute pro recepta
nostri inclyti DVARTIS:
Gratesq́, Dîs agentes,
Portate dona ad aras.
Et hunc diem colentes,
Quo redditus saluti est,
Et nos beauit omnes,
Celebrate plausu, & hymnis.
Illum boni sodales
Mei quot estis omnes,
Mea ipse iure vita
Habebo chariorem.

In Anthracem voracem.

Vorax laborat Anthrax
Non ilium dolore,
Aut crure claudicante,
Vertigine aut cerebri,
Sed anthracis tumore,
Qui vexat vsque & vsque
Malam suam voracem.
Medicæ repertor artis
Apollo si moueris

Votis tui poetæ,
Adsis, ferens medelam,
Non qua vorator Anthrax
Curetur, aut capitam
Recuperet salutem:
Sed qua repente Ditis
Rapiatur ad choreas,
Dapesq; sumptuosas.
Cur hæc precaris illi
Non suetus hos ad vsus?
Meus requirit vt mos,
Tua poscit & voluntas,
Verum tibi fatebor.
Est helluo ciborum,
Mensæ & ruina nostræ:
Vix namq; naui in illa
Ponunt dapes ministri:
Manu vorator Anthrax
Cibos vtraque sumens,
Nullaq; lege iactans
Ventrem in suum profundum,
Quantum quod est profundum
Voracioris vnquam,
Quod est mihi paratum,
Sodaliumq; turbæ,
Absumit ipse solus:
Lancesq; sunt inanes.
Ego surgo, surgit ille,
Et quintus, atque sextus
Cum ceteris deinceps
Ieiunus: ipse tantum
Satur recedit; vdo
Hilaratus & Lyæo,
Distertit vsque ad ipsum
Mane in toro supinus.
Quum prandet, atque cænat,
Vorat velut molossus,
Aut vrsus, aut amicus
Porcus luto, lupusue,

Qui

Qui siccus, & famescens
Silente nocte, hiante
Rictu, per hoc, & illud
Ouile quærit escam.
Dum dextra sumit assum
De lance, nec minora
Elixa frustra carnis:
Capit sinistra pullum,
Aut scorpium bilibrem.
Quæ proximo, aut remoto
Non subtrahit sodali:
Oculi vorant rapaces:
Vix bolus intrat vnus
Os, alter hunc adurget
Intrusus in palatum:
Pro tertius virili
Impellit hunc & illum.
Nullum vorator Anthrax
Dat dentibus quietem:
Sed vsque & vsque edendo
Exercet, & fatigat.
Quæ Scylla, quæ Charybdis,
Aut quæ vorago terræ
Tantum voraret vnquam,
Quantum voraret Anthrax?
Harpya cedat illi,
Cedat Chimęra; cedat
Hydra Eerculis, tremenda
Maris Indici balena.
Harpya dixit olim
Quam Musa Mantuana,
Rapiebat vngue frustra
Obsonij, minutas
Dapumq; portiones:
Fędabat atque mensam.
Rapit ille cuncta visu,
Manu, ore, mente: mappas
Lancesq; fœdat omneis,
Et candidos sodales,

Quot assident propinqui:
In quos iaci videmus
Ius pingue, sæpe & ossa.
Voraret ipsa tantum
Harpya dona mensæ,
Sint prima, sint secunda,
Nil interest hoc ad rem.
Alpes voraret Anthrax,
Voraret æquor ipsum,
Et cuncta quæ videmus
Per vasta dorsa terræ.
Quin siquis est repertor
Supra modum vorator,
Non par voracitate
Foret Anthraci. licet sit
Polyphemus, aut Typhæus:
Voracior vel alter
Stadiodromis athletis,
Cyclopibusq; cunctis,
Gigantibusq; cunctis.
His adde sancte Apollo,
Quod Aulici minores,
Primariiq; cuncti
Odere peius illum,
Quam patre Marte nati
Vatinium Quirites.
Inuisa nec popello,
Sic est leuiq; plebi
Pestis, fames, egestas,
Aut tela acuta belli:
Vt deuorator Anthrax
Inuisus, & molestus
Est paruulis, adultis,
Barbatulis, ephœbis,
Domesticisq; cunctis.
Tuus ergo te poëta
Apollo deprecatur,
Hic Helluo ciborum,
Mensæ ruina nostræ

Dicto

Dicto ocyus, vel ictu
Oculi aureæ Cytheres,
Acherontis ad fluenta
Rapiatur, ad nigrantis
Conuiuium Megęræ:
Vbi cœnet, atque potet
Aeterna secla, & annos.
Tibi ipse cum perita
Sodalium caterua
Grateis agam trecentas,
Gallosq́; pingue olentes
Mactabo sex ad aras,
Septemq́; pipiones
Dulce ore pipientes.

Ad Diuam Angeronam.

Pia mater Angerona,
Volupiam vocare
Quam sueuerant Quirites,
Angina quum premebat
Fauces, cauumq́; guttur:
Ter te precor quaterq́;,
Vt Anthraci voraci
Viam auferas vorandi.
Nam qua est voracitate,
Vorat vnus impudenter
Elixa, frixa, & assa,
Quæ sunt mihi, meisq́;
Sodalibus parata.
Lastaurus hic popinam,
Ollas, ahena, lances,
Coquosq́; deuoraret,
Nedum dapes opimas,
Nedum cibos suaues,
Epulasq́; suaue olentes.
Sunt veriora veris
Mea quæ canit Camęna,
Namq́; est vorator Anthrax
Voracior trifauce
Cane Ditis, & Charybde.

Ad Neæram.

Neæra vîrgo bella,
Quantum quæ fuit vlla virgo bella
In Attica, & Latina
Terra, hoc tempore nata, vel priore:
Quid, oro te Clearchum
Inclusum thalamo tenes, vt olim
Paruum parens Achillem?
Fratres optimi, & optimi poëtæ
Illum locos per omneis
Quærunt solliciti: nec vllus vnquam
Dixit, nec vlla dicet
Vnquam, quas habeat puer latebras.
Neæra per Cytheren
Te rogo, & puerum bonæ Cytheres,
Venire in ora vulgi
Vt tandem iuuenem sinas Clearchum.
Irata turba vatum
Ne te carminibus suis ad Orcum
Nigrum ferat: chelydris
Vbi Tisiphone reuincta crines,
Te verberet flagello.
Si (vt spero) mihi feceris petenti
Hanc gratiam: canoro
Te cantu ad superos Deos vocabo.

In Brutum bellum ciuile reparantem.

Quid sine nauclero rursus petis æquora nauis?
Non hoc per pelagus currere tuta potes:
Vel te Scylla vorax, vel perdet hiulca Charybdis:
Allident scopulis Syrtis, & acris hyems.
Anchora quæ fundat naues deuincta rudente,
In medio est rupta fune relicta salo.
Vela Aquilo fregit: nudata es remige: malus
Concidit: antennas per mare fluctus agit.
Hinc inflat pluuij vultus Iouis: inflat Orion:
Puppibus hinc hædi non bene fida parens:
Nec te Neptunus qui temperat æquoris vndas,
Respicit: Hippotadæ nec patris aura fouet:

Dum

Dum potes, ad placidum toto conamine portum
Contende: hic tantum tuta manere potes:
Si secus efficies, increbrescente procella,
Fortiter & Borea percutiente latus,
Post varios casus, post multa pericula, tandem
Risus eris pelago, ludibriumq́; Notis.

AD ODOARDVM FARNESIVM
Principem Sereniſſimum, & S. R. E.
Cardinalem Ampliſſimum.

Dum rotat Herculeis in Belgas viribus ensem
Marte tuus melior, fortior atque pater:
Assidue ipse rogas terręq́;, poliq́; Monarcham,
Subdant Hispano colla superba iugo:
Non aure admittet surda tua vota DVARTES,
Iusti audit voces, supplicis atque preces:
Et Dux quo nostro nihil est laudatius æuo,
Ob niueos mores præmia tanta meret.

AD RANVTIVM FARNESIVM
Parmę, & Placent. Princip. Sereniſs.

A patre ALEXANDRO *monstras te iure* RANVTI
Esse satum, in Gallos bella cruenta mouens:
Scilicet est Latij Martis FARNESIA *proles,*
Martis habet robur, Martia membra gerit.
Rex Henrice licet te multo Vascone, multo
Teutone te firmes, nobilibusq́; viris:
Hoc iuuene aduerso, ne spera posse potiri
Infesta Hispanis Celtidos imperio.
Adde, quod hæretico regi nec regna, nec vrbeis
Christigenæ gentis, donat habere Deus.

DE ALEXANDRO FARNESIO
Parmę, & Placentię Duce Sereniſs.

In Graia, & Latia multi regione fuere
Insignes armis, consilioq́; Duces:
Maius ALEXANDRO *nihil est hoc tempore nostro,*
Seu tu vis terra vincere, siue mari:
Edomuit Belgas, genus insuperabile bello,
Bistonio Actiacas sanguine tinxit aquas.

Henrici

Henrici ferro, flammisq́; Lutetia nuper
Erepta est, ciues obsidione graui:
Et decus, & laudes quas nos amisimus ante,
Restituit Romæ, & gentibus Ausoniæ.
Hunc ergo vt numen supplex veneretur Iberus:
Italus obseruet: Trinacris ora colat:
Ipse ego dum viuam, tollam super æthera cantu,
Fiat vt Eois notus, & Hesperijs.

De Hermaphrodito. Ex Pulice antiquo poeta.

Quum mea me grauido gestaret ventre creatrix,
Quid pareret Diuûm numina consuluit.
Mas est Cypris ait: Mars fæmina: Iunoq́; neutrum:
Postmodo parturiens, me parit androginum:
Quærenti funus; Cypris fluuio: ense Gradiuus:
Iuno cruce hic infans emorietur ait.
De ficu labens, ramo pes alter inhæsit:
Verberat vnda caput, ensis at ipse latus:
Vera Venus dixit; Mauors: & Iuno. periui
Nam mulier, neutrum, vir, fluuio, ense, cruce.

Hoc idem epigramma sic olim vertit Politianus.

Quum mea me genitrix grauida gestaret in aluo,
Quid pareret fertur consuluisse Deos.
Mas est, Phœbus ait: Mars fæmina: Iunoq́; neutrum:
Quumq́; forem natus, hermaphroditus eram.
Dea sic *Quærenti lethum, [redacted] ait. occidet armis:*
Mars cruce: Phœbus aquis: sors rata quæq́; fuit.
Arbor obumbrat aquas, ascendo, decidit ensis,
Quem tuleram casu labor & ipse super:
Pes hæsit ramis, caput incidit amne: tuliq́;
Fæmina, vir, neutrum, flumina, tela, crucem.

Ex Pallada.

Dum volat ex ramo in ramum Cythereius ales:
Esse putat volucrem Lyncus, & arma parat.
Insidias puer insidijs eludere gestit,
Seq́; gemens simulat retibus implicitum.
Currit hic ad prædam gaudens: vbi nouit Amorem,
Erubuit: risit nequitiosus Amor.

Ex incerto. In Bauianum Merulam.

Quid Bauiane tumes imprudentissime? tantum

Qui

Quid tu te iactas, quum nihil ipse scias?
Inter Grammaticos te censes esse Platonem:
Grammaticumq; inter scita Platonis agis:
Inq; aliud fugis ex alio temerarie, quum sis
Tu nec Grammaticus, nec Plato, sed Merula.
Omnia scire tamen te dicis, & omnia nosse:
Es fons inscitiæ, stultitiæq; parens.

In eundem.

Inscius Aonidum Merula est, & carmina dictat,
Carmina quæ Bauius, Mæuius atque legat.
Quid Tragicas Musas, quid Comica drammata tractas?
Si nondum nosti quo pede carmen eat?
Pondus iners terræ, fruges consumere natus,
Stultitia es totus, totus & inscitia.

In eundem.

Scribere si nescis quicquam sermone soluto,
Inter nec vatum nomina nomen habes;
Carmina quid scribis? quid scribis carmina, quæ sunt
Danda mari Adriaco, tardipediq; Deo?
Indoctum vel te Bauiane fatere: vel in te
Tincta Lycambeo sanguine tela feram.

In Henricum Vasconum regem.

Christigenas Gallos quid Marte sceleste lacessis,
Vincla parans magnæ nectere Franciadi?
Si trucis auxilio, & gazis confisus Elisæ,
Audes astrigero bella parare polo:
Te Deus est contra, contra est Ecclesia mater:
Consiliumq; tuum non probat alma fides.
Dum licet, inceptis Henrice absiste profanis,
Desine & immeritum conscelerare Deum:
Iratus ne te (disiecta vt mole, Gigantes
Sustulit) ad Stygias fulmine trudat aquas

Ex Leonida.

Se male sortiti sunt inter munera quondam
Hector Priamides, & Telamone satus:
Hector habet Zonam; gladium capit impiger Aiax:
Aiax ense cadit: Hectora Zona trahit.
Sub Charite hac latuit fatum: lethalia dona
Sunt ea, quæ semper hostis ab hoste capit.

Hoc idem epigramma Alciatus sic vertit.

Bellorum cepisse ferunt monumenta vicissim
Scutiferum Aiacem, Hectoraq; Iliacum:
Balthea Priamides, rigidum Telamonius ensem,
Instrumenta suæ cepit vterq; necis:
Ensis enim Aiacem confecit: at Hectora functum
Traxere Aemonijs cingula nexa rotis:
Sic titulo obsequij quæ mittunt hostibus hostes
Munera, venturi præscia fata ferunt.

Ex Incerto.

Timomachus matrem Medeam pinxit, & hostem:
Ad cędem natos quum trahit, & retrahit:
Impietas armat: pietas exarmat eandem:
Vult etenim, & non vult parcere pignoribus.

Pomp. Guaricus sic transtulit.

Quod natos feritura ferox Medea moratur,
Præstitit hoc magni dextera Timomachi:
Tardat amor facinus: strictum dolor incitat ensem:
Vult, non vult natos perdere & ipsa suos.

Ex Antiphilo.

Vt diues fieret Mus, tritum roserat aurum
Sic tenue, vt Libyci vilis arena maris:
Intumuit venter dapibus: capiturq; per ædes
A Domino, tardum dum latro carpit iter:
Eximit ex vtero furtum lacrymabile: Mures
Attentas auri tu quoque sacra fames?

Fabius Pelusius ad Ia. Pelus. patruum suum:

Ne doleas, si te Merula indoctissimus odit,
Et tua vipereo carmina felle notat:
Ventorum celsę vexantur turbine turres:
Aeriasq; domos fulmina dira petunt:
Sunt humiles tutæ à Borea, Cauroq; myricæ,
Nec quatit Aeolius tecta pusilla furor.
Quo magis es doctus, magis hoc mordeberis atro
Dente: quis indoctis inuidet, atque nocet?
Hoc decus est ingens: hęc gloria maxima: quando
Vel te Vergilius, vel Cicero ipse probat.
Ludibrium plebi Merula est, stultoq; popello,
Fabula & Aemonijs, fabula, & Ausonijs.

Finis Secundi Libri.